EPISTOLA R. P. N.

GOSVVINI NICKEL

Præpoſiti Generalis Societ. IESV ad Patres, & Fratres eiuſdem Societatis.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

QVI ad Societatis vniuerſæ gubernationem hactenùs à DEO vocati ſunt, vt primùm eam de ſublimiore loco circumſpexere, idem omnes vehementer optarunt, vt loca ſingula inuiſere, & Socios omnes coràm alloqui poſſent: tum vt id officij ſuo ac ſuorum ſolatio impenderent, tùm verò potiſſimùm, vt, ſi quid aut Superiorum incuria, aut quædam ſua ſponte ſubrepens remiſſio, aut dæmonis fraus & violentia corrupiſſet; exhortando, & commonendo repararent: atq; ita Societatem, quam ab anteceſſore acceperant, ſaluam atq; integram ſucceſſoribus atraderent. Verùm, cùm è republica magis eſſet, vt

hìc velut ad clauum ſedentes eam gubernarent; quod reliquum erat, vicarias pro ſe quiſq; ad vniuerſam Societatem litteras ſubſtituerunt, quæ eos, & locis omnibus quodammodo repræſentarent, & ſingulos, ſi non voce, calamo ad perfectionis ſtudium adhortarentur: atque ita fieret, vt ſpiritus feruorem, vel ſponte ardentem magis accenderent, vel ſopitum additis ad profectum ſtimulis excitarent. Quod idem præſtandum mihi eſſe exiſtimaui, vt, qui inter eos non tàm numero, quàm merito poſtremus ſum, ipſorum veſtigijs religiosè inſiſtam, & ſequar quod tam vtiliter præierunt. Porrò, cùm diù multùmq; mecum ipſe expendiſſem, quid pro præſenti Societatis ſtatu magis neceſſarium videretur; tandem, nihil ad communis diſciplinæ bonum opportunius, nihil DEO, ac Sancto Parenti noſtro gratius facturum me iudicaui; quàm ſi vos ad perfectæ Paupertatis amorem & ſtudium, quantum inſtituti noſtri ratio poſtulat, adhortarer. Quamquàm enim & ceterarum virtutum, quibus religioſa profeſſio maximè conſtat, nulla vel ſæpiùs repetita commendatio nimia habenda eſt; tamen, vt Paupertas vna præ alijs deligenda hoc loco mihi eſſet, id eo etiam nomi-

ne illi debebatur; quòd hactenùs ab anteceſſoribus meis,non præterita, ſed alicuius poſteriorum Generalium curæ relicta videatur: eòq; ſtudioſiùs eius incolumitati proſpicere æquum eſt,quòd pleriſque,neſcio quo errore deceptis,minùs quàm reliqua duo vota, periculo obnoxia eſſe videatur: quare; dum tutior creditur, & negligentiùs defenditur, pericuſiùs impugnatur. Hinc magnus ille Franciſcus, mirantibus, cur adeò totus in aſſerenda ſtabiliendaque Paupertate verſaretur, ſapientiſſimè reſpondit, ei magis cauendum eſſe, quam à periculo tutiorem ceteri falsò arbitrarentur. Superiores enim exigendæ à ſubditis obedientiæ eò diligentiùs vacant; quòd, ſimul cum publica, priuatam quoq; rem ſuam vna eademq; opera promoueant. Caſtitatem verò per ſe quiſq; intelligit, rem eſſe, vt ſplendidiſſimi, ita & delicatiſſimi nitoris, quam; cryſtallini inſtar ſpeculi, tenuis quilibet afflatus commaculat, aut infuſcat. Etſi verò tota Societas in Congregationibus Generalibus de Paupertate non pauca ex occaſione conſtituit; tamen, quia fortè videri alicui poteſt, ea ad neceſſitatem eius facere magis, quàm ad perfectionem; ideò adhuc locus de ea dicendi relictus eſt: vt intel-

ligant vniuerſi, quòd ſicut Obedientiæ, & Caſtitatis, quantum eſt harum virtutum, in hominibus Societatis noſtræ requiritur; ita etiam Paupertatis: quod & ratio, & exempla eorum qui perfectionis euangelicæ viam rectè atq; ordine inierunt, ſatis ſuperq; demonſtrant.

Paupertatis neceſſitas oſtenditur ex fine Societatis.

Ac primùm illud animo repetendum eſt, DEVM O. M. cùm nos in hanc Filij ſui Societatem adlegit, ſingulis nobis eumdem illum, qui & totius Ordinis eſt, finem propoſuiſſe: Vt non ſolùm ſaluti, & perfectioni propriarum animarum, cum diuina gratia vacemus; ſed, cum eadem, impensè in ſalutem, & perfectionem proximorum incumbamus. Ad quem finem meliùs conſequendum tria vota Obedientiæ, Paupertatis, & Caſtitatis emittuntur. Qua conſtitutione finis, qui Apoſtolicæ vocationis eſt, ſatis apertè declaratur; vt Obedientiæ, & Caſtitatis, ita & Paupertatis noſtræ menſuram & modum eſſe, quidquid eius ad animarum noſtrarum perfectionem, & ad proximorum ſalutem conſequendam facit. Quis autem in hac religioſæ diſciplinæ ſchola adeò rudis & ignarus eſt, vt non ſtatim intelligat, non eam hìc deſignari Paupertatem, quæ tantummodò citra ſacrilegium eſt, vt integro voto pec-

Exam. cap. 1.

cari vltrà non poſſit: ſed omninò perfectam, quantùm & rem, & affectum, & magna, & minima quæuis complectitur? Scilicet, vt res ipſa per ſe ſe loquitur, aliud eſt, non eſſe malum, aliud, eſſe optimum, aut ſaltem ad id, quod in virtute ſummum atque optimum eſt, magis magiſque intendere.

Ac, vt primo loco de animarum noſtrarum profectu ſermo inſtituatur, eſto hic ſapientiſſimum illud Gregorij Nyſſeni monitum; ad ſanctitatem nitentibus, quæ ſcalæ à Iacob, paternam domum egreſſo, per ſomnium viſæ, noſq; hinc ad cælum vſq;, ac DEVM, hoc eſt, ad cæleſtis & diuinæ vitæ conſortium transferentis, myſterium fuit, infimum, atque ideò primum omnium, gradum eſſe, à terra diſcedere: vt fruſtrà omninò ſit quicumque, vel vno pede terrenis hiſce rebus inhærens, conſcenſum ad ſuperiora ſibi pollicetur. Adhuc tota illum manet via: &, ſi ex imo ſuſpicere perfectionem poteſt, & eam, quod inertes & languidi faciunt, procul ſuſpirare; at certè aſſequi omninò non poteſt. Nam in hoc Euangelicæ vitæ curriculo, in hac religioſi progreſſus ſcala, qua de virtute in virtutem aſcenditur, quantum viæ & graduum ſupereſt conficiendum, etiam iis, qui iam ſe per vo-

Ac primùm ex debito propriæ perfectionis.

De Beatitudin.

voluntariæ Paupertatis votum terrenis rebus planè omnibus abdicarunt! *Temporalium enim* (ait Paulinus, *ille, ex opulentiſſimo diuite, voluntate pauperrimus, & copioſè ſanctus*, vt eum nominat Auguſtinus.) *Temporalium*, inquam, *quæ in hoc ſeculo habentur, bonorum relictio, ſiue diſtractio, non decurſus ſtadij, ſed ingreſſus: nec vt meta, ſed ianua eſt. Non enim athleta tunc vincit, cùm exuitur: qui ideò nudatur, vt incipiat dimicare: cùm legitimè certauit, coronandus.* Quæ ſi verè, vt procul dubio veriſſimè, à ſancto viro, & Euangelicæ Paupertatis, non tam verbo & lingua, quàm opere & veritate magiſtro, prolata ſunt; videant, quàm propè coronam ſtent athletæ noſtri, qui nondum ſe totos exſpoliauerunt, vt incipiant dimicare: videant, quàm propè metam acceſſerint qui, adhuc terrenis rebus impediti, nunquàm ſatis ſe ad curſum expedierunt. Certè, cùm DEI Filius cæleſtem illam, & octies beatam, religioſæ vitæ formam in monte deſcriberet; Paupertatem ſpiritus primo loco, quaſi ad Regiæ veſtibulum ſtatuit: vt, qui ingreſſum ad intima, & ſanctiora deſiderant, ab ipſo ſtatim limine intelligant; debere ſe, à rebus planè omnibus nudos, Paupertati deducendos tradere, tamdiù

De Ciuitat. lib. 1. c. 10:

Epiſt. 1. ad Seuerum.

ad

ad oſtium hæſuros, quamdiù aliqua eorum, quæ mundi ſunt, cupiditate implicantur. Nam, ſi, vt optimè Auguſtinus, *amor rerum terrenarum viſcum eſt ſpiritualium pennarum, & vbi concupiſcimus, ibi hæremus*; nonne adhuc in ipſo religioſæ vitæ limine hærent, quaſi viſco, ne dicam luto, infixi; qui ſua illa terrena ſic diligunt, vt ea nunquàm ſatis dimittant, aut, quod longè deterius eſt, olim dimiſſa paulatim repetunt, quaſi eos, poſt multum ætatis, & fortaſſe etiam laborum, in domo Domini exactum, voti ac propoſiti ſui pœniteat, & ad ſeculum redeundi facultas magis deſit, quàm affectus? Quare, vt communiter omnes, ita nos ſingulariter appellat illa ab ipſo euangelicæ vitæ exordio poſita, & toties repetita à Chriſto Domino Lex; vt, qui illum ſequi velint, hoc apud ſeſe primò conſtituant; renunciandum ſibi eſſe omnibus, omnia relinquenda, etiam ſeipſos: ea denunciatione, vt qui ſecùs fecerint, nec diſcipulos ſe eſſe, nec eius ſocietate dignos, ſciant. Qua, velut falce, vt cum Ambroſio dicam, in pectus noſtrum immiſſa omnem ibi terrenarum cupiditatum ſiluam vno ictu ſuccidit; poſiturus in eo diuinum illud perfectæ caritatis ſemen, cuius tanta eſt fecunditas, quanta cordis noſtri

Serm. 33. de verb. D.

Lib. 1. Offic. cap. 25.

ſtri ab omni terrena cupiditate ſterilitas.

In rebus etiam minimis Paupertas ad perfectionem necessaria.

Nec ſibi quiſquam blandiatur, iactans, rerum, quibus vel ad decorem, vel ad delectationem, vel ad commodum vtitur, tenuitatem nihil officere Paupertati. Habere illam gradus; ſummum, medium, infimum: in quo quiſqꝫ conſtiterit, intra virtutem ſtare: neque enim continuò malum eſſe, quod non eſt optimum. Nos verò, qui non viuimus in antris & ſiluis, vt olim Anachoretæ; minimè dedecere honeſtiorem aliquem cultum; qui huic, quam profitemur & agimus, mediæ & communi vitæ, diſſentaneus omninò non eſt. Qui in hunc modum ratiocinantur, veritatis ſpecie aliqua ad fallaciam aſſumpta; eos primùm rogatos volo, an, cùm ſe, ac ſua omnia, DEO ritè & ſanctè vouerunt, partem aliquam, perexiguam licet ac minimam, de ſumma decerptam, quaſi facta exceptione, ſibi reſeruarint? Id verò ſua cuique conſcientia conſtantiſſimè pernegabit. Quis enim, cùm ad Societatem, etiam per calcatum patrem, venit; non ab omni caducarum rerum deſiderio atque amore prorsùs vacuum, ac purum cor ſecum attulit, atque obtulit DEO: vt totum ſe cæleſtibus impleret, quem iam terrena nulla occupabant? Iam quid tam longè ac retrò agi nos ſinimus,

vt eorum, quæ iam pridem rectè intellexeramus, obliti, &, vt inquit Caſsianus, vim Euangelio inferentes, omnimodam nuditatem, & rerum etiam exiguarum renunciationem, Paupertati quam profitemur, & voti quod emiſimus, integritati, neceſſariam non eſſe iudicemus? Neque verò, quòd ea, in quorum comparatione vſuque occupamur, leuia & modica ſint; leue & modicum eſt detrimentum, quod animæ inferunt. Sunt enim qui in hac veritatis & lucis ſchola ita miſerabiliter aliquando cæcutiant; vt, niſi trabes in oculis ferant, nihil ſentiant: feſtucis, quia non totum lumen extinguunt, eruendis excutiendiſque manum non adhibeant. Quod ij faciunt, qui, cùm ſuperuacaneis abundent, quòd ea, etſi fortè nō pauca, tamen non adeò ingentis pretij videantur, nulla eſſe exiſtimant: &, quòd diuites non ſint, ſi cum diuitibus ſeculi comparentur; non tamen intelligunt, ſe mundi pauperes eſſe, non Chriſti. Dum verò odioſam DEO rapinam in holocauſto defendunt ipſa rerum, quas poſsident, exiguitate; mirum ſanè eſt, ſi non vident, hìnc ſe accuſari potiùs, quàm defendi. Nam vel eò pudendum eſt magis; quòd ſumma illa atq; abſoluta DEI dilectio, quæ eſt forma ſanctitatis, & theſaurus omni comparatione

Lib. 7. c. 16. de ſpir. philarg.

ma-

maior, tanti apud eos non ſit; vt ei perfectè acquirendæ, hoc tantulum pretij, quod ſupereſt, modica, inquam, & leuia iſta, quæ poſsident, impendere non nimium putent: fruſtrà ab euangelico mercatore edocti, rerum prorsùs omnium diſpendio, pretioſum illud margaritum comparare; in quo vno, rerum omnium compendium eſt. Illud etiam quàm miſerabile, quòd ij, qui magna non poſsident, poſsideantur à paruis? Nam, vt rectè monuit Cyprianus, non eſt habere iſta, ſed haberi: ſi affectui noſtro tàm fortiter imperant, vt ne rem quidem DEO gratiſsimam, & religioſæ perfectioni inprimis neceſſariam præſtituri, ea dimittamus. Adde, quòd, cùm Paupertati comes, ſi non indiuidua aut quotidiana, certè aſsidua & frequens, accedat neceſſitas; pronum eſt intelligere, quàm patienter, ne dicam hilarè, laturi ſint, neceſſaria ſibi deeſſe; qui tàm obſtinatè volunt etiam non neceſſarijs abundare.

Quàm perniciosum ſit opiniones Paupertatē relaxantes diſſeminare.

Quæ dum memoro, ſubit animum, nec ſine mœrore, fateor, recordatio nonnullorum, qui ſibi infeliciter, alijs damnosè acuti, laxandæ vltra ius faſque omne Paupertati, ſua quædam commenta excogitant, vel aliundè conquiſita in vulgus efferunt, docentes, grauia quædam, & fa-

ctu

ctu admodùm periculoſa, ſalua atque integra Paupertatis & voti obligatione, licere: inuehuntque ea paſſim eiuſmodi rerum ignaris, ne, vt aiunt, imperitia ſua decepti, trepident timore vbi non eſt timor, & fruſtrà peccent, ſi fortè illicitum putent, quod doctorum hominum arbitratu, quorum munus eſt haſce de conſcientia quæſtiones diſſoluere, tutò, & ſine vlla culpæ ſuſpicione, fieri poſſe ſtatuitur. Qua ſanè pietate nihil crudelius fingi poteſt. Nam, vt non omni probabilitatis ſpecie careant iſtiuſmodi opiniones; an eas operæ pretium eſt paſſim diſſeminare, vt error & ſcrupuli paucis eximantur, plurimis ingerantur? Neque eius inſcitiæ ſunt omnes, vt non ſatis intelligant, quàm incerto duci abducendos ſe committant à recta & regia via, cùm in Paupertatem audent quidpiam eorum, quæ certis quibuſdam ratiunculis fieri impune poſſe audiunt: videntque, ſtare ex aduerſo, & contradicere, non modò ſapientium virorum conſenſum & vocem; ſed verò etiam Præpoſitorum Generalium decreta, qui haſce commentitias & noxias opiniones procul à Societate ablegarunt: quo fit, vt veritatis incerti, & non ſine magna ſuſpicione erroris, audacter magis, quàm fidenter faciant, quod poſtea, vbi reſipiſcant,

ſcant, auerſentur, ſeque ipſos inconſultæ temeritatis damnent: veriti, nec ſine cauſa, ne ſibi magis ſua cupiditas, quàm periculoſæ ſententiæ ratio, perſuaſerit. Quare qui ſcrupulis liberare ſe poſſe imperitos iactabant, penè ſcientes in errorem, aut dubium trahunt: opera quidem in ſtudendo malè collocata, ſi ea diſcunt & docent, quorum, vt Auguſtini verbis vtar, *melior eſt fidelis ignorantia, quàm temeraria ſcientia.* Sed eſto, ea, quæ in hunc modum ad Paupertatis laxationem excogitantur, non ſint ſine aliqua rationum firmitate ſatis probabilia; non tamen ideò vtiliter euulgantur: cùm rarò & parùm proſint, ſæpè & plurimùm noceant. Cùm enim ij, qui à votorum obligatione ſolutiones eiuſmodi & licentias amant, & in vſum trahunt, non ex eorum numero procul dubio ſint, quibus diſciplina & perfectio cordi eſt, ſed inertium & remiſſorum, quibus ſummæ virtutis loco eſt, tantùm non eſſe ſacrilegos; an ij, quæſo, ita ſe continebunt, vt eò tantùm vſque procedant, quò per ſummam eiuſmodi opinionum indulgentiam licet? Nequaquam: ſi ſapientum hominum teſtimonijs, & magiſtræ rerum experientiæ, fidem vllam habemus. Nam, vt è ſublimi montium iugo continenter

Serm. 22. de verb. Apoſt.

ad

ad ima decurrentes, lapſum repentè ſiſtere,& pedem figere vbi primùm volunt, vix vnquàm poſſunt, ſed præconcepta vis atque impetus nolentes agit, deuoluitq; etiam inuitos; ſic, qui ad id omne feruntur,quod quacunque tandem coniectura licitum putant; ſæpè ad illicita delabuntur,&amantes periculum,pereunt in illo.

Et hæc quidem hactenùs ad priuata damna ſingulorum. Iam quid vniuerſo Ordini accidet, ſi in eo hæc cathedra peſtilentiæ ſcholam habeat, & magiſtros? Nemo ſibi perſuadeat, in religioſas familias, in quibus veteris diſciplinæ ſeueritas adhùc viget & imperat, licentiam & vitia,aperta explicataq; fronte impudenter irrumpere. Nam ea & loci ſanctitas procul abſtinet, &, ſi qua fortè pedem intulerit, continuò æqui bonique vindex Iuſtitia, eodem flagello, quo in reos nocentes animaduertit, vitia ipſa exterminat. Per fraudem ſubeunt, clanculùm, & perſonata: tunc magis timenda,cùm ſpeciem boni, vel ſaltem non illiciti operis, mentiuntur. Et primùm quaſi verecundè ac timidè paucos occupant: & ſi illos impunè, mox ſenſim ad alios prolabuntur, creſcuntque in dies: donec vulgare malum fit, & tam apertè domeſticum; vt illud ferre, quàm expellere, facilius videatur,

tur,

tur, & vniuerſus Ordo ſe circumſpiciens, alium ſe eſſe, quodammodo & ipſe miretur. Spirat ſanè, viuitque etiam qui phtiſi, aut alio eiuſmodi exitiali morbo, conficitur, ſibi incommodus, alijs grauis: at quis ita viuere præoptet, attritis viribus, & vix ſpiritum ducens, ſi integra & firma valetudine vti poſſit, tantùm vt velit? Nos verò quid eam imbecillem, infirmam, & præ ſumma debilitate eneruem, & caducam Paupertatem malumus, cum qua ſpiritus vitam viuere vix poteſt; agere, & exercere quod operoſi & validi eſt, omninò non poteſt: non verò alteram illam firmam, ac robuſtam, quæ luctari cum aduerſario poteſt, neque deijci, aut teneri, quia nuda eſt; & Chriſtum ſequi non longè, ſed conſequi, quia expedita eſt; & nullo onere grauis, etiam ad ardua nititur; & ſtatutam pauperibus ſpiritu copioſam mercedem obtinere, quia nihil terrenarum opum præ cæleſtibus habet?

Quid de Paupertate sẽſerit, ſcripſeritque S. Ignatius.

At, quando de ijs, qui, per ſummam opinandi licentiam, Paupertatis iura infringunt, & diſciplinam laxant, ſatis in præſentia dictum eſt; ratio poſtulat, vt è contrario videamus, quàm religioſè ſanctèque de ea ſenſerit noſtri Ordinis Inſtitutor, *cuius decreta* (vt olim de Magno Athanaſio Nazianzenus) *pro Moſaicis tabu-*

tabulis à nobis excipi æquum eſt, Dictatore ſcilicet DEO earum legum, quas nobis Ignatius *promulgauit*. Primò igitur Paupertatem, Societatis *Propugnaculum* vocat: non eo tantùm nomine, quòd, vt propugnaculis Vrbes, ſic & Paupertate Societas muniatur; ſed eo potiſſimùm, quòd, vt continuò ſubijcit, omnis aduerſariorum conatus in eam vires & arma intendat; qua vel diruta, vel occupata, cetera omnia euertere, atque exſcindere nullo negotio poſſit. Atque, vt arcium munitionibus à duplici hoſte ſimul cauendum eſt, ſcilicet ab externo oppugnatore; & à proditore domeſtico; ne ille per vim, aggere iacto, & admotis machinis & tormentis, vallum tranſcendat, aut occulta coniuratione portam dedat, & hoſtem admittat; ita etiam Paupertati, ab aperto quidem hoſte, qui dæmones ſunt, cauendum ſedulò eſt, ſed præcipuè à domeſtico, & clandeſtino: hoc eſt (inquit S. Pater) ab ijs, *Qui ea, quæ à primis Fundatoribus benè ordinata fuerant, immouent, per declarationes, & innouationes, primo illorum ſpiritui minimè conſentaneas*. Quare ab his primùm Societati proſpectum voluit, ea ſanctione legis nullo vnquàm tempore abroganda, vt *Quicunq; in ea Profeſſionem emiſerit, ſe*

Orat. 3. in laud. Athanaſ.

Par. 6. Conſti. cap. 2. & Part. 10.

Part. 6. cap. 2.

Ibidem.

ad.

ad innouationem Conſtitutionum, in ijs, quæ ad Paupertatem pertinent, nihil facturos, promittant: niſi aliquo modo, pro rerum occurrentium ratione, eam in Domino magis reſtringendam iudicarent. Aſſerta in hunc modum Paupertate ab inteſtina & domeſtica ſuorum coniuratione; iam, quod reliquum erat, eam ab externis hoſtibus, ducto in omnem partem muro, aggere, & foſſa, defendit; nihil prætericns eorum, quæ ſubmouendo amori proprio, ſub quo omnis cupiditas militat, opportuna eſſe videbantur. Ac primò, Societatem ingreſſuros, in ipſo ſtatim veſtibulo admonet; vt *ſui victus, potus, veſtitus rationem, ſibi perſuadeant fore, vt pauperibus accommodatum*. Tum: *Nulla re tamquàm propria vti debere: & mutuò dare, vel accipere, vel diſpenſare, quidquam de ijs, quæ domi ſunt, minimè poſſe:* Et: *paratos eſſe ad mendicandum oſtiatim: & nihil proprium domi tenere, nec foris apud alios:* & ex ijs, quæ de communi data fuerint, ad vſum ſuum neceſſarium, aut conuenientem, reſecatis ſuperfluis, contentos eſſe debere: ſtipendia verò, immò nec eleemoſynas, pro rebus quibuſq; ſpiritualibus nulla admittere. Deniq; quod vniuerſa vno verbo complectitur, Diligere

Exam. c. 4.

Part. 3. c. 1.

Part. 6. c. 2.

Part. 3. c. 1.

Pau-

Paupertatem, *vt Matrem*. His ille, atq; alijs eiuſmodi operibus, munitionibuſq; circa Paupertatem diſpoſitis, omnem aditum præcluſit amori proprio, quo nihil ad decipiendum doloſius eſt, nihil ad impugnandum validius. Solitus præterea dicere, eum ſibi deniq; videri pauperem ſpiritu; qui erga ea, quibus vteretur, ſic eſſet affectus animo; vt inſtar ſtatuæ cuiuſdam videretur eſſe, quæ nullo pacto reſiſtit recuſatue, quò minùs omni, quàmuis pretioſo, amictu & ornatu confeſtim exuatur. Quid verò (neque enim committam, vt in præteritis habeam id, cuius eſt in hac re dulciſſima recordatio) quid, inquam, tanta illa Sanctiſſimi Parentis in orando aſſiduitas, nocturnæque vigiliæ, & vberes lacrymæ, & immiſſa rerum planè diuinarum ſenſa, & redundans cæleſtium ſuauitatum copia, æſtuſque animi diuino igne flagrantis, ſeſeque ipſum præ ſpiritus impetu vix ferentis, & quidquid præterea idem ipſe in commentarios retulit, vt ſibi quotidie repræſentaret ea, quæ DEO doctore didicerat, totis illis quadraginta diebus, quos in aſſidua precatione conſumpſit, vt vnum hoc tutò & ſine errore diſcerneret, liceretne Profeſſorum Domibus, quæ totæ liberali hominum miſericordia victitant, ſacras ædes

B vel

vel modicis cum prouentibus poſſidere: vt haberent ſaltem vnde neceſſarios ſumptus in inſtrumentum templi, ceteroſque ſacros vſus, ſuppeditarent? Exſtant adhùc ea omnia, & quidem ſingulari Numinis prouidentia & conſilio, ſola præ ceteris, quæ ſancti viri, & ad ſua diſſimulanda & contegenda ſtudioſiſſimi, modeſtia exciderunt: exſtant, inquam, non tàm ad ipſius, quàm ad Paupertatis commendationem. Nam, ſi tantum diuinæ lucis exquiſiuit & hauſit, tàm diuturna & familiari cum Diſcretore ſpirituum DEO communicatione egit, vt rem non adeò magni momenti, ſi cum ceteris comparetur, certò ac tutò ſtatueret; quanto lacrymarum & precum impendio eidem conſtitiſſe putandum eſt eas, quas ſuprà memoraui, de abſoluta à rebus planè omnibus nuditate, ad vniuerſam Societatem conſtitutiones ac leges? Quàm nonniſi immiſſa cælitùs mente, & diuino actus illapſu, eas ſanxit conſtituitque? electurus adhuc arctioris & pauperioris vitæ modum, ſi è maiori diuini Numinis gloria futurum intellexiſſet, vt noſtræ tantùm, non etiam proximorum ſaluti proſpiceret. At, quia ſtudijs aſſiduè occupatos, in conquirendo oſtiatim victu diſtrahi, & quotidianis

exer-

exercitationibus ſatigatos, nimia rerum inopia inſuper frangi minimè oportebat; quæ ad vitæ vſum, & ad laborum tolerantiam neceſſaria erant, concedenda, prudentiſſimè iudicauit. Rem tamen communem omnium, cum priuata ſingulorum ita compoſuit & temperauit; vt nihilominùs perfectiſſimæ Paupertati locum faceret, dum quidquid eſt vltra neceſſitatem, ſiue ad commodum ſiue ad ornatum, quaſi de opulentia damnat, & ſuperfluis omnibus interdicit.

Perfectæ Paupertatis neceſſitas oſtenditur ex cura proximorum.

Atque hæc ex priore finis noſtri parte, quæ propria cuiuſque ſanctitas & perfectio eſt; ad abſolutæ Paupertatis commendationem petita, ſint ſatis. Venio iam ad alteram, eamque, ſi probè ac diligenter expendatur, equidem non minoris momenti ac ponderis. Ea eſt ſtudium, & caritas in procuranda proximorum ſalute: quod quia vocationis apoſtolicæ officium & munus eſt, quid in hanc rem opportunius afferri primo loco poteſt, quàm ipſa Apoſtolorum conditio, & ſtatus? Quos ſi oculis noſtris ſubijcere, & repræſentare velimus, occurrunt non modò tenuis, ſed planè nullius fortunæ homines: quibus patrimonium omne nauicula & rete, cenſus

ex quotidiano piſcatu, victus quantum vulgari & parabili cibo, ad vitam in dies trahendam, vix atque ægrè ſufficeret: cultus deniquè vniuerſus agreſtis & rudis, & res domi, vel anguſta vel nulla. At eo vel maximè ad apoſtolici muneris adminiſtrationem idonei: tantùm vt illud ipſum exiguum ac propè nihil, quod poſſidebant, & verò etiam (idque potiſſimùm) cupiditatem, & ſtudium omne quidquam in poſterum comparandi, vltrò abijcerent. Sapientiſſimè enim conſtituerat DEVS, vt cæleſtes theſauros hominibus impertirent homines, quibus terrenæ opes nullæ eſſent, vel in pretio vt eas conquirerent, vel in vſu vt poſſiderent. Nàm qua fronte in conſpectum Orbis terrarum prodirent Apoſtoli, aut quanta ad perſuadendum efficacitate ac vi, infinitam immortalium bonorum ſupra mortalia omnia dignitatem extollerent; ſi interim ipſi, paupertatis incommoda & dedecus auerſati, terrenis vtcunque opibus inhiarent: & quod ſtruere verbis moliebantur, exemplo, verbis omnibus ad perſuadendum validiore, deſtruerent? Atqui è contrario, DEI in homines munificentiæ & fidei debebatur, vt qui, eius nomine, mortalibus æternitatem,

ærumnoſis beatitudinem, pauperibus felicitatem & regnum pollicebantur; ipſi primùm oſtenderent, terrena hæc & caduca, quæ, cæleſtium ignoratione, mortales quaſi ſola aut ſumma ſuſpiciunt; nullo apud ſe in pretio eſſe, ſed nihil habentes, in ſola ſpe futurorum, omnia poſſidere. Atque hìnc factum eſt, vt, cùm veritatis Magiſter IESVS per deſignatos à Ioanne diſcipulos rogaretur, numne ipſe eſſet, qui venturus erat, an alium expectarent? renunciare illos iuſſerit ea, quæ audierant & viderant: certa quædam de ſe argumenta proferens, atque illud inter cetera ſingulare, Pauperes euangelizari, quorum nomine Hilarius aptiſſimè cenſuit Apoſtolos indicari. Iàm quid in Euangelij promulgatione præſtiterint, cùm imperium Chriſti, & Eccleſiæ fundamenta ſtatuerent toto Orbe terrarum; non eſt huius loci commemorare. Iuuat ſolum Iſaiam audire, cùm, de ſublimi ſpecula futura proſpectans, & mentis oculo cernens ſubactas Chriſti iugo gentium penè omnium nationes, atque idololatriam, flagitiorum omnium parentem, cum ſua ſobole profligatam; tanti operis miraculum illo quaſi epiphonemate celebrauit: *Conculcabit eam pes, pedes Pauperum, greſ-*

 ſus

Cap.26.n.6 *ſus egenorum. Apoſtolorum ſcilicet*, inquit Hieronymus, *qui*, *Chriſti paupertatem imitantes*, *etiam priuilegia conſecuti ſunt*. Quare, vt ad nouæ legis prædicationem donis ſanè quàm ampliſſimis à DEO inſtructi prodierint Apoſtoli; ea tamen, quaſi vix vllo in numero habenda eſſent, Iſaiæ prætcrita ſunt, & deuicti Orbis terrarum gloria vni Paupertati adiudicata: more exemploque, immò magis conſilio atque inſtinctu DEI: vt quos ad idem apoſtolicæ vitæ inſtitutum in poſterum vocaret, intelligerent, quantum ad id muneris habeat momenti, ſi non ſola, at præ ceteris, voluntaria Paupertas. Quod vt adhuc luculentiùs teſtatum apud vos ſit; quanquàm hominum apoſtolica caritate, & ingenti animarum lucro clariſſimorum, exempla penè immunerabilia ſuppetunt; vnum tamen aut alterum proferre, conſilium eſt. Inficiebat Eccleſiam peſtifera Albigenſium lues, iàmque Toloſates corruperat; longè maius exitium, & contagione hæretici dogmatis, & vi atque impetu armorum datura; niſi malo, latiùs in dies gliſcenti, prohibendo manus valida adhiberetur. Eò igitur, vbi tam periculoſè res chriſtiana laborabat, Summus Pontifex viros religione & ſapientia ſpectatiſſi-

Hieron.

tiſſi-

tiſſimos legauit; qui, vt curam omnem pro rei grauitate diù multùmque poſuerint; vix tamen vllum diligentiæ atque operæ ſuæ pretium retulere: donec eòdem miſſus ſanctiſſimus Patriarcha Dominicus animaduertit, longè aliter, atque illi, qui ſe in eo labore anteceſſerant, agendum ſibi eſſe: ſcilicet non dignitate perſonæ, non ſplendido comitatu, non pretioſa ſupellectili, non denique inſtructa ad maieſtatem ſpecie, authoritatem & gratiam aucupandam. Quare totus ad apoſtolici concionatoris formam compoſitus, in pauperrimo corporis cultu, detractis etiam calceis, & mendicato victitans, prædicationem apud infectos hæretica lue populos aggreſſus, breui illud effecit, quod DEO Regius Vates adſcripſit: *Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum:* Pſalm. 106. vt facilè poſtmodum fuerit, putreſcens illud Eccleſiæ membrum, iam incolume atque integrum, ſuo corpori reſtituere. Quòd ſi & domeſtica, ideòque ad imitationem magis accommodata, exempla deſideramus; vnum ad id præ omnibus promam, ſed qui inſtar multorum eſſe poſſit, Franciſcum Xauerium, qui viam Indis in Cælum, Societati in Indiam primus aperuit. Eum, vbiuis locorum quæ-

ramus, vbique ſanè non minùs Paupertatis, quàm Caritatis apoſtolicæ virum inueniemus: atque eius Paupertatis, quæ non plus ipſi ad gloriam, quàm alijs ad ſalutem contulerit. Hanc ſibi comitem adſciuit, ab ipſo ſtatim ſuæ peregrinationis initio: ſic enim ex Vrbe & complexu ſuorum diſceſſit, vt nihil ſecum, præter ſimplicem corpori tegendo veſtitum, & in quotidianas preces Breuiarium, extulerit. Hanc, in Indiam ſoluens, omnis viatici & commeatus loco ſibi futuram, in nauim ſecum intulit; præter ſimplicem craſſiore textu lacernam, ad arcenda circa Bonæ Spei Promontorium frigora, & ſacros aliquot libellos, nihil ex ijs, quæ Regius curator illi complura afferebat ad vſum nauigationis, admittens. Nautici funis volumina iacenti illi pro culcitra & ceruicali erant, cibus in dies precariò quæſitus, veſtis longo vſu attrita, aut centonibus paſſim aſſutis deformata, donec amicorum aliquis, ea clàm & furtim ſubducta, aliam paulò honeſtiorem reponeret, induſia, & calcei (quamquàm plerùmque nudis pedibus incedebat) à claſſiarijs militibus eleemoſynæ nomine vltrò delata, hoſpitium in publico valetudinario, &, cùm Goæ inter Socios degeret, mendicato cibo potuque

que victitabat. At num propterea, vel de fidei ſplendore, vel de Xauerij dignitate,ſumma hæc rerum inopia quidquam detrahebat? quin è contrario, vtrique, exiſtimationis & gratiæ inde plurimùm accedebat. Nam, vt de ceteris ſileam, cùm mendicitas vltimæ infelicitatis atque ignominiæ nota ſit apud Iapones; tamen eam in Xauerio etiam venerabantur, habebantque firmiſſimi argumenti loco: tum vt chriſtianæ legis & fidei ſublimitatem perciperent, quæ, præter Cælum & res ſempiternas, nihil in pretio haberet; tum etiam, vt Xauerij ſanctitatem cognoſcerent, qui eius, quam prædicabat, diuinæ ſapientiæ & cœleſtis vitæ formam, actibus exhiberet. Iam ergo, licet non eiuſdem amplitudinis atque vbertatis campus, vbique locorum & gentium, nobis, qni Xauerio in India, aperiatur; tamen, intra fines quiſque ſuos, tantùm vt velit, & plurimum habet quod agat, ad remedium & ſalutem animarum; &, ſi muneris ſui partes obire tutò ac feliciter velit, non aliam incedat viam neceſſe eſt; quàm eam ipſam,quam Apoſtoli primùm, tum, eorum veſtigijs ſanctè & religiosè inſiſtentes, apoſtolici viri, maiores noſtri, nobis ad exemplum præierunr. Et ſanè, quotieſcunque mihi in memo-

riam

riam reuoco breue illud & efficax B. Parentis noſtri verbum, quo Societatis operarios, quaſi expreſſa imagine, demonſtrabat, ſolitus dicere, eos altero tantùm pede terræ inſiſtere, altero ad iter ſuſcipiendum ſubleuato, eſſe debere; videor mihi intelligere, non eam ſolùm alacritatem, qua ſtare ſinguli debemus *ſuccincti lumbos, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis*; verùm etiam expeditiſſimam illam Paupertatem: quæ in hunc modum ſtantibus tam neceſſaria eſt, quàm ijs, qui ſe mari committere deſtinant, anchoras ſoluere, & nauem procul à terra ſubducere. Nàm, ſi temporalia diligere, eſt radices cordis, qui ſunt animæ affectus, in terram immittere, atque ibi hærere, atque affigi, vnde humor aliquis ad cupiditatum alimentum exſugitur; apertè intelligitur, quàm ab omni terrenarum rerum amore ac deſiderio expeditos nos eſſe oporteat, vt ſimus, quos noſtræ vitæ ratio poſtulat, omnium horarum Operarij, parati *circuire docendo, & nihil tollere in via, non peram, non panem, neque in zona æs*. Quod præſtare equidem non poſſunt ij, qui, ſuis corporibus magis quàm proximorum animabus addicti, rei domeſticæ inopiam, cubiculi anguſtias, victus difficultatem, ſtrati du-

Ephеſ. 6. *Marc. 6.*

ti duritiem, & cetera Paupertatis incommoda, ferre prompto atque alacri animo minimè conſueuerunt. At qui tradiderunt animas ſuas pro nomine Domini IESV Chriſti, quod fecere olim Paulus & Barnabas, quod & modò faciunt qui apoſtolicæ vitæ formam atque inſtituta ſectantur; vel ea ipſa, ſine quibus vita niſi incommodè ſuſtentari non poteſt, deeſſe ſibi patiuntur, vt euangelizent de Regno DEI. Quod demùm eſt quærere non quæ ſua ſunt, ſed quæ IESV Chriſti: rem enimuerò paucorum, vt vel in aureo illo naſcentis Eccleſiæ ſeculo Paulus lamentabatur. *Act. 15.* *Philipp. 2.*

Honeſtas, et Neceſſitas, adſubruendam Paupertatem adhibitæ.

Porrò, vt iàm ad hoc recto ordine veniamus, ſexcentæ quidem ſunt dæmonum machinationes, quibus Paupertatem ſubuertere tota vi connituntur: at illæ præ ceteris metuendæ, quæ vim dolo occultant, eòque plurimùm nocent, quòd mínimùm timeantur. Harum validiſſimæ, quantum ego intelligo, duæ ſunt; Honeſtas, atque Neceſſitas: nomina planè innocentia, atque ideò ad fraudem magis accommodata. Ac primùm, vt de Honeſtate dicamus; ſunt, qui S. Bernardum in medium proferant, profitentem, ſe vel in ipſa Paupertate à ſordibus abhorrere. Egregiè dictum, niſi contra

De Honeſtate.

tra mentem authoris, miris & miſeris modis, in luxus & nimiæ elegantiæ patrocinium detorqueatur. Quid enim? an in caſis, & ſub humili tecto, ſine immunditia & illuuie, quæ ſocordiæ & ignauiæ fæx quædam eſt, habitare Paupertas non poteſt: & vulgari ac rudi panno, ſed mundo, amiciri, & refectis calceis ſatis honeſtè incedere? Paupertati, paupertas non eſt turpitudini, ſed decori: nec vlla re, quàm ſeipſa, ſplendidiùs exornatur. Abſint modò ſordes, quæ vitium ſunt non Paupertatis, ſed negligentiæ: benè culta eſt ſine cultu: vt naturalis atque ingenuæ formæ excellentia non indiget ad gratiam, quaſi lenocinio quodam, calamiſtris & fuco. Hilarionem ſcio, ſaccum, quem primò induit, nunquàm lauiſſe: mirantibus reſpondere ſolitum, ſuperuacaneum eſſe, munditias quærere in cilicio. Sed hoc hominis ſolitarij &, præterquàm ſibi & DEO, nulli mortalium noti, laus etiam ſit, nedum licentia. Quamquàm & ſolitarios pleroſque, vitæ ſanctitate conſpicuos, ſordes ex cilicijs detergere ſolitos ſcimus. Nobis, quibus communis vitæ ratio eſt, & hominum vſui accommodata; ſordidis eſſe non licet; arguuntque ſocordium in hac parte fœditatem S. Parentis edicta,

atque

atque exemplum: eius enim neque paupertati, neque munditiæ, quidquam addi potuiſſe, vetus memoria eſt. Decet quippè, vt animi, ita & corporis habitum, ſibi pariter reſpondere, & nihil intùs maculoſum & ſordidum occultare; nihil foris incomptum & indecens præ ſe ferre. Vt enim *in rebus fabricatis*, inquit Auguſtinus: *nulla cogente neceſſitate, iniqua partium dimenſio facere ipſi aſpectui velut quamdam videtur iniuriam*; ſic etiam incompoſita & fœda impoliti hominis ſpecies, intuentium oculos ferit, atque animos abalienat: tamquàm interioris formæ imago ſit ea, quæ foris oſtenditur, inconcinna cultus & habitus turpitudo. At quidquid vltra munditiam, nobis iàm non ad virtutem decenter, ſed ad vitium deformiter, comparatur. Non enim tàm indecorum eſt hominibus ſeculi, etiam ſummam rerum inopiam pati; quàm Pauperibus Chriſti, ſpeciem diuitum, habitus, & cultu exquiſito affectare: nam illis egeſtas, fortunæ, & neceſſitatis conditio eſt, eamque inuiti ferunt: nobis voto noſtro voluntaria eſt, & pars maxima gloriæ, cùm Regi Regum DEI Filio, quò pauperiores, eò magis ſimiles efficiamur.

Lib. 2. de Ordine c. 11.

Iam, licet hæc, ſub falſo nomine Hone-

neſta-

Ab hoc capite periculum eſt iis, qui Aulas frequentant neſtatis, vera vanitas & ſuperbia afficere vniuerſos poſſit; at longè faciliùs eos, qui ſplendida miniſteria obeunt, ac eos in primis, qui Principum Aulas frequentant: nam loco præcipiti & lubrico inſiſtere, nec in procliue labi, immò pronos ad caſum ſuſtinere, & labentes in ſublime deducere; res eſt virtutis admodùm raræ, ideòq; eximiæ. Societas quidem habuit, & porrò, vt ſpero, etiam habebit eiuſmodi hominum plurimos, pro quibus non modò ſolicita non ſit, verùm etiam ſibi ipſi plurimùm gratuletur, eoſque in edito illo atque ancipiti Aulæ faſtigio, ſecuros à vertigine & caſu ſuſpiciens, illud Ambroſij de myſticis Capris, in montium & rupium iugis tutò degentibus, læta vſurpet: *Vides, quòd in altis*

In Pſal. 118 ſerm. 56. *grex iſte paſcitur, audax in monte. Itaque, vbi alijs periculum, ibi gregis huius alimentum, ibi cibus dulcior, ibi fructus electior. Spectantur à Paſtoribus ſuis, dumoſa de rupe pendentes, vbi luporum incurſus eſſe non poſſunt, vbi fecundæ arbores fructum integrum ſubminiſtrant. Cernere licet vberi lacte diſtentas, ſuper teneram ſobolem materna pietate ſolicitas.* Horum ſanè virtus, vt ſupra communem modum eſt, ita & gloriæ magnitudo: quin & ipſorum merito, Societati vniuer-

uerſę, quam, de ſublimi & conſpicuo loco, publicæ luci atque omnium oculis ſpectandam repræſentant; plurimum exiſtimationis, & ſolidæ laudis accedit: vt vel hoc nomine dæmon, quantum ingenio & viribus pollet, eorum firmitati aduerſetur: ſtudeatque vehementiſſimè eos de tam præclaræ virtutis conſtantia deijcere, qorum lapſus ſinè publica labe & communi detrimento eſſe non poteſt. Quare eos tantò acriùs adniti oportet, vt nihil de recti propoſito, nihil de religioſæ diſciplinæ ſtudio ac ſeueritate remittant: quòd non ſibi ſolis ſtent, aut cadant, ſed ſui quoque de ipſorum actibus æſtimentur. Et multa quidem ſunt, eaque ſanè grauiſſima, in quæ, niſi ſedulò ſibi caueant, quàm facilè, tam periculosè prolabi poſſunt. Et, ne à Paupertatis propoſito abeam: Primò, quibus Aulæ magnificentia & ſplendor frequenter aſpectui obuerſatur, facilè euenit, vt, cùm deinde oculos, ſpecioſarum imaginum plenos, in religioſam domum conuertunt, ac nihil, quod non tenue & exiguum ſit, vident; tacita quadam comparatione deſpiciant vniuerſa, ac ſibi videantur inter ſuos quaſi in ſqualore & ſordibus eſſe: quo fit, vt, à Paupertate paulatim auerſi, corpore domi velut accom-

commodati, animo in Aula perpetuò verſentur. Deinde, vt eos quodammodo ſui pudeat, ſi ſe, in vulgari & communi veſtitu, Magnatum & Principum ſerico & purpuræ inferant: aut ſi eos ad ſe aduentantes, in anguſtam & pauperem cellam admittant, conſpecturos ſupellectilem non ornatu, non copia, ſaltem ad ſpeciem & dignitatem, inter ceteros excellentem. Denique, vt, quam in Aula obtinent gratiam & authoritatem, eam & domi apud ſuos ita velint; vt ſaltem à reliquis, amplitudine & magnificentia cultus aliquantò honeſtioris, diſtinguantur. Atque vtinam non etiam ſimplicem, & parabilem communis menſæ cibum, cui à tot annis integra valetudine aſſueuerant; ex qua primùm die in Aulam acciti ſunt, quaſi mutato repentè ſtomacho & palato, faſtidiant: vt iam nonniſi ſubmiſſis ex Regia epulis vti velint, oſtentationi & gulæ, non neceſſitati & fami conſulentes! Atque ita fit, vt, qui, familiari conſuetudine & vſu, religioſam modeſtiam in Aulam inferre debuerant; è contrario, aulicam pompam & delicias in Religionem inuehant: eò pernicioſiùs, ſi ſe inſuper ita tueantur, vt manum adhibere, & intole-

tolerandæ licentiæ modum ſtatuere aliquando velle, penè capitale ſit: peſſima neceſſitate, vt nec ferri poſſint, neque corrigi velint. Quare, ſi qui fortè ſunt, in quos aliquid eiuſmodi vitiorum ex Aula tranſierit; videant, quàm pro re ſua improuidè; nedum ſecundùm virtutem indecorè ac turpiter faciant, ſi, vt authoritatis & reuerentiæ vmbram ſibi concilient, eam cultu corporis, à nitore veſtitus, & à cetero rerum huiuſmodi apparatu ſuprà communem modum ſplendido, aucupantur: cùm, apud æquos rerum æſtimatores, religioſo homini, diuitiarum & gloriæ contemptus venerationem; amor, & oſtentatio contemptum pariat. Magnus ille Aethiopiæ Patriarcha, & Societatis noſtræ lumen, Andreas Ouiedus, non dignitate magis, quàm virtutum ſplendore illuſtris; cùm Eborenſem diœceſim, antequàm in Indiam tranſmitteret, Sacramenta paſſim miniſtrans obiret; non modò nullo ad pontificiam maieſtatem apparatu vſus eſt quin vnico itineris comite, eoque de Societate, iumentum ſacra ſupellectile ac pijs libris onuſtum, præ ſe ipſe agebat. Quod vbi Henricus Cardinalis, & Princeps Luſitaniæ, cuius partes Ouiedus in eo munere obibat, certis authoribus

comperit; mulam, qua inueheretur, & famulos, rerumque, ad neceſſitatem & commodum, copiam; regia munificentia dignam ſubmiſit: monens, vt dignitatis ſuæ meminiſſe, atque eis vti vellet. Verùm ille & prorsùs abſtinuit, &, quod olim in ſimili penè facto Xauerius, reſpondit; Euangelicam Paupertatem Epiſcopo non eſſe dedecori, ſed honori: immò, ſi nimium decori addatur, nimium detrahi de dignitate. quam chriſtiana ſubmiſſio, & Paupertas, quæ vel ſociæ ſunt, vel ſorores; magis, quàm conquiſitus ad pompam apparatus, amplificant & tuentur. Hæc ille, non equidem omnem Eccleſiæ Principum ſplendorem vlli vitio vertens, verùm ſe ad veterum Antiſtitum formam componens; atque id eo nomine æquiùs, quòd non ex Aula Epiſcopus, & Patriarcha deſignatus; ſed ex religioſæ Paupertatis ſchòla prodijſſet: ſolutus quidem ille legibus noſtris, at nobis, qui Paupertatem adhuc integram profitemur, non modò dignitati ad commendationem, ſed exemplo ad imitationem futurus.

De Neceſſitate. Iam Honeſtatem ad inferendum Paupertati exitium ſubſequitur æquè fallax, at longè damnoſior, Neceſsitas: quippè communius malum eſt; ac tàm latè pa-

tens, quàm ſui ipſius amor : qui, dum ad ſpeciem veriſsimè, ad veritatem fallaciſſimè philoſophatur, & Neceſsitatis nomine cenſet quidquid ad commodè, ſi non etiam delicatè viuendum facit; illud denique obtinet, vt nihil ſibi impunè non liceat. Hinc illa, animi maior quàm rerum, egeſtas, abiectio, mœror, & quotidianæ expoſtulationes & querimoniæ, & pro iure ac licentia, vt inquiunt, naturæ, quæſita furtim remedia, non præſenti ſolùm, ſed & futuræ, quàm longè antè proſpiciunt ac præcauent, Neceſsitati. Hinc ſuperſtitioſa in cibi & potus delectu ſolicitudo, & exquiſita curandi corporis diligentia : & valetudini omnia incerta vereri, omnia profutura conquirere. Quibus in præſentia omiſsis, vt ſermo mihi vobiſcum ſit de aliquantò, vt ita dicam, honeſtiori Neceſsitate : quam ferre & pati, virtutis eſt, ſed non effugere criminis; vtinam; ſi de Cælo Bernardus oculos in vnumquemque noſtrum intendat, non illi etiam modò repetendum ſit quod, dum viueret, quibuſdam, ſiue ſuiſiue aliorum Ordinum, hominibus exprobrabat: *Videmus*, inquit, *pauperes aliquos, qui, ſi veram haberent Paupertatem, non adeò puſillanimes inuenirentur & triſtes, vtpotè reges, & reges Cælorum. Hi ſunt* Serm. 4. in Adu.D.

qui pauperes eſſe volunt, eo tamen pacto, vt nihil eis deſit: & ſic diligunt Paupertatem, vt nullam inopiam patiantur. At quibus ad vitam in dies tolerandam neceſſaria ſuppetunt, etiamſi nihil ſuperet; Sapientis decretum eſt, Caietano interprete, eos vix atque ægrè numerari inter pauperes poſſe. Qui enim DEVM ſic rogat, *Paupertatem & diuitias ne dederis mihi, tribue tantùm victui meo neceſſaria;* vtique, dum extrema inter ſeſe opponit & reijcit; quod eligit, medium eſt. Diuitias igitur abundantia, Paupertatem Neceſſitas ſequitur: quæ ex vtraque componitur, vita eſt inter commodum & incommodum temperata: qua qui vtuntur, fruſtrà cenſeri ſe volunt inter euangelicos pauperes, quos, è contrario, voluntaria nuditas omnibus egeſtatis incommodis ſpontè obnoxios facit: quin & gaudentes, quòd digni habeantur qui, ſublata in humeros cruce, poſt Chriſtum euntes, crucis fructus cum Chriſto identidem aliquos guſtent, in fame & ſiti, in frigore & nuditate. Quantum hi ſolidæ voluptatis percipiunt, cùm, ſua cubicula & ſeipſos curioſè circumſpicientes, non modò quidquam non offendunt ſuperfluum, quod redundet, quin & multa ad commodum, non rarò etiam quædam

Prouerb. 30

Ne-

Neceſſitati deeſſe vident! atque eò demùm intelligunt, ſe verè ſpiritu, hoc eſt voluntate, pauperes eſſe; quòd, cùm facilè poſſint eiuſmodi rerum indigentiam vel tollere, vel minuere; ſpontè nolunt, amantque quod patiuntur. Quin &, ſi quæ vitæ vſui minùs neceſſaria exiſtimant, ijs ſeſe vltrò abdicant, vellentque, vt de nonnullis ait Nazianzenus, præter crucem & corpus, nihil habere. Inter quos idem ipſe, ex Monacho Epiſcopus, & in Epiſcopatu quouis Monacho egentior; *Quid? inquit. Paupertatem mihi obijcient? Meas ſcilicet opes & copias. Atque vtinam & pannos hoſce exuere poſſem, vt huius vitæ ſpinas nudus percurrerem!* Qui tàm generosè in Paupertatem affecti ſunt, vt re ipſa commodis, voto etiam neceſſarijs, ad vitæ vel ſuſtentationem aliquam vel decorem, rebus carere, dùm poſſint, velint; quæ tanta domi tenuitas atque indigentia eſſe poteſt, quam non abundantiæ & deliciarum loco habeant? & ſicubi, pro exiguitate prouentuum aut eleemoſynarum, quod non rarò accidit, etiam integro victui neceſſaria non ſuppetant; idipſum hilarè & iucundè non excipiant, tamquàm rem votis omnibus optatiſſimam? Quæ, dum apud vos loquor, ſpero equidem, non idem oratio-

Orat. 43. al. 28. Cùm redijt in Vrbem.

ni meæ euenturum, quod Bernardus aiebat de lingua amoris, quæ non amantibus barbarum quiddam & prorsùs ignotum ſonat. Neque enim hæc, eximia, fateor, & ſumma euangelicæ Paupertatis perfectio, alia eſt, quàm ea ipſa, quæ religioſum decet: quamque S. Pater Ignatius toti Societati communem fore, certò ſibi perſuaſerat: idque teſtatum ipſe fecit, datis ad nonnulla per Europam Collegia litteris: quas dùm hìc recito, & particulam hanc ſpiritus Patris noſtri, quaſi de ſepulcro & cineribus excitatam, repræſento; eas ad vos quoque ab eodem ſcri-
„ ptas miſſaſque putate. Multorum, in-
„ quit, relatione comperi, DEVM ac Do-
„ minum noſtrum vos benignè inuiſere, &
„ ſanctæ Paupertatis fructus vobiſcum
„ communicare: incommoda, inquam,
„ quarumdam rerum temporalium, quæ
„ ad valetudinem vel tuendam vel recu-
„ perandam, & ad corporis incolumita-
„ tem & ſalutem, neceſſariæ eſſent. Quod
„ equidem non exiguæ gratiæ loco ha-
„ bendum eſt: cùm diuina largitas aliqui-
„ eius boni, in cuius deſiderio ſemper
„ nos eſſe conuenit, guſtandum vobis
„ propoſuit, vt pro voto, quo nos ob-
„ ſtrinximus, & pro ſanctæ Societatis in-
„ ſtituto, quod profitemur, ad Ducis no-
ſtri

„ ſtri IESV CHRISTI vitam conforme-
„ mur. Equidem nullus, quod ſciam, in
„ tota Societate locus eſt, cui, conceſſu
„ & munere DEI, aliquid ſaltem huiuſ-
„ modi gratiæ non obtigerit. At, ſi nos
„ in hac parte comparemus cum Fratri-
„ bus noſtris, qui, per ſummos animæ &
„ corporis labores, ſtrenuam apud Indos
„ operam nauant, rebus etiam ad quoti-
„ dianum victum neceſſarijs deſtituti, fa-
„ mem ac ſitim oryza & aqua vix depel-
„ lentes (nam panis & vini copia multis
„ in locis nulla ſuppetit) in vili & pannoſo
„ veſtitu, alijſque præterea ærumnis aſſi-
„ duè confecti; quidquid ipſi patimur, ſi
„ non leue, at certè non admodùm gra-
„ ue videbitur. Concipiamus animo In-
„ diam, atque ibi nos degere, aut vbi de-
„ gimus Indiam eſſe, exiſtimemus: nam
„ illa, ſaltem ad eiuſmodi ærumnarum
„ tolerantiam, vbique terrarum eſſe po-
„ teſt: &, ad leuandam egeſtatem, quoti-
„ diana ſubſidia à ſancta mendicitate
„ comparemus. Hæc ille ad eius ætatis &
inopiæ Societatem: quæ commemorare
æquum fuit, non modò vt, quod propo-
ſitum mihi erat, ex ipſo B. P. Noſtri ore
acciperemus; verùm etiam, vt pudorem
nobis incutiant, ſi, cùm hodie, quàm olim,
res domeſtica commodiore loco ſit; nos

leuia ægrè & grauiter feramus, cùm è contrario grauia leuiter, immò & iucundè ferre debeamus.

Aliquot Paupertatis fructus deguſtandi proponuntur.

Atque hæc de euangelicæ Paupertatis tum neceſſitate, tum impedimentis, generatim diſſeruiſſe, in præſentia ſit ſatis. Reliquum eſt, vt ſingularia quædam, & ad quotidianum vſum præcipuè accommodata ſubijciam, tamquàm huius bonæ arboris bonos fructus: quos S. P. Ignatius, qui ſic eos nominat; ea ipſa manu, qua Ordinis noſtri leges & iura deſcripſit, deguſtandos nobis proponit. Quorum ille primo loco ſit, vt nulla re tamquàm propria vtamur: quod conſequens eſt vt faciat, qui ſe nihil proprium habere, non tantùm intelligit, verùm etiam profitetur. *Quid enim habeant proprium* (inquit egregiè Climachus) *qui ipſum quoque corpus ſuum*, immò & animæ ſuæ mentem ac voluntatem, *alieno imperio expoſuerunt?* Quis autem de re non ſua grauiter atque iniquo animo ferat, ſi, qui poteſt, eam ab ipſo, cùm libuerit, repetat, alijque vtendam concedat? Eget ſanè præſens vita quibuſdam, veluti ſuſtentaculis, ſine quibus decidat & pereat, neceſſe eſt. Ea ſunt, indumentum, cibus, habitatio, ſtratum, & eiuſmodi reliqua. At, vt arboribus aliter vites, aliter hede-

1. Nulla re vti tāquàm propria.

Grad. 16.

ræ ſuſtentantur; ſic & homines rebus ad vitæ vſum & valetudinis commodum neceſſarijs. Vites enim eò tantùm ſua arbore innituntur; vt de humo ſubductæ, atque ex alto pendentes, ſoles & cælum accipiant: ceterùm ſucco ſuo viuunt, pariuntque fructus: & vinitoris manum, ſi detrahere eas libuerit, non inuitè ſequentur. Longè aliter hederæ, quæ ſe totas arbori circumfundunt, & arctiſſimè applicant, eamque non tàm ramis amplectuntur, quàm laqueis illigant: tùm omni ſucco emungunt, productis infixiſque, quibus ab imo trunco ad ſummum vſque verticem proſerpunt, radicibus: vt non appoſitæ, ſed enatæ vel inſitæ videantur. Quin & interciſæ viuunt tamen, indiuiduo malo, niſi prorsùm detrahantur. At quàm periculoſa & difficili opera! cùm hoc, vt Bernardi verbis vtar, non exſpoliare ſit, ſed excoriare. Neque tantùm rebus ad quotidianum vſum conceſſis, verùm & locis ipſis, tamquàm certo quodam modo proprijs; vti, ei qui omnibus renunciauit, iure interdictum eſt. Quid enim à religioſo homine magis alienum, quàm vni certæ domui aut vrbi ita addictum eſſe; vt, ſi quando migrare aliò oporteat, pluribus vtendum ſit, quàm ſi diceretur huic monti; *Tollere & mittere in mare?* Marc. 11.

Aut

Aut, è contrario, in tenuioribus Collegijs non ſine animi ægritudine ac mœrore degere, ſplendidas vrbes, & ampliorem Mundi ſcenam expetere? Quaſi ſola illa loca, in quibus vel degimus, vel degere præoptauimus; proximiora Cælo ſint, & ad Deum breuiore via traducant. Hinc illa etiam ad exteros perfugia, & exoratæ impetrationes, & quædam penè vis precum illata Superioribus. Adeò à nobis ipſis aliquando excidimus, ſi, qui olim tirones Mundum vniuerſum expeditè ac libenter dimiſimus, ac fortaſſe etiam in alterum penè Orbem terrarum ad Indos mitti enixè petijmus; iam conſeneſcere vno in loco volumus: clamet licet Apoſtolus, nos non habere hîc permanentem ciuitatem, ſed futuram inquirere: &, dum ſumus in hoc corpore, peregrinari à Domino: quæ quantò veriùs pronunciata de nobis ſunt, qui de Mundo non ſumus? Quis autem viator & pauper, ſi ad breue tempus hoſpitio excipiatur, de loco ipſo diſputet, doleatque, ſe non commodiùs aut honeſtiùs exceptum: vel emigrare, niſi eiectus, nolit? Quod eò minùs ferendum in nobis eſſet, quorum inſtituti ac vitæ ratio poſtulat, vt, quod de Paulo ait Chryſoſtomus; Tamquàm pennati totum peruolitare Orbem parati ſimus, & velut

Hom. 2. de Laud. Paul.

incorporei, labores omnes & pericula contemnere, & tamquàm iam Cælum poſſidentes; cuncta terreua deſpicere.

Iàm quid de illis dicendum exiſtimamus, qui, cùm aliò iuſſi abeunt, tàm multa ſecum conuehunt; vt, ſi rem ex ſarcinis æſtimes, non hominem, ſed familiam migrare putes? Hi videlicet timent, ne ſibi in eius, quam petunt, domus veſtibulo, religioſa Paupertas occurrat, & exceptos deducat in cubiculum, quale Sunamitis Eliſeo crebriùs apud ſe diuertenti inſtruxit, vniuerſam ſupellectilem, menſa, candelabro, ſella, & lectulo finiens. *2. Nō multa ſecum conuehere, cùm in alia Collegia migrandū eſt.* *4. Reg. 4.*

Quamcunque hi viam ineant, at certè non euangelicæ ſapientiæ, neque virtutis: *Virtutis enim via*, inquit verè Lactantius, *non capit magna onera portantes: Anguſtus admodùm trames eſt, per quem ducit ad Cælum. Hunc tenere non poteſt, niſi qui fuerit expeditus & nudus: nam iſti locupletes, multis & ingentibus ſarcinis onerati, per viam mortis incedunt, quæ latiſſima eſt*. Quid verò, ſi ita oneratis occurrat per viam vnus aliquis ex antiquæ, & nondum ſarcinas & impedimenta ſcientis, Societatis noſtræ hominibus? puta, magnus ille S. Ignatij primogenitus Petrus Faber, qui, remiſſis ad Albertum Moguntinum Archiepiſcopum, eundemque *Lib. 7. cap. 1.*

Car-

Cardinalem,ſpecioſis muneribus, factum iniuria liberauit ea excuſatione; quòd ipſe ex eorum numero eſſet, qui omnia bona ſua ſecum portarent. Quantum alter ad alterius conſpectum viciſſim, ſed ex contrario, erubeſcerent! Faber ſuffarcinatum, quem arcta non capiunt: ille Fabrum, cuius diuitiæ erant, nihil habere, vt inquit de Baſilio Nazianzenus. Abijciamus ergo quidquid hoc eſt ſarcinarum & ponderis, quod nos, virtutis viam in ardua poſt Chriſtum percurrentes, quantùm onerat, tantùm delaſſat, retardatque: & ad Hilarij regulam, *Spiritualium æternitatem, terrenorum damno comparemus*: quod perinde eſſe putandum eſt, vt, ſi onerariæ in altum euectæ, ac ſuborta tempeſtate periculosè fluctuanti, & nimiùm graui, conſilium de iactu maturè faciendo demus, ne ſuomet pondere victa & depreſſa ſubſidat. Repetamus quod ab ipſo Societatis initio Patres noſtri, more exemploque ſuo, quaſi legem in poſteros ſtatuerunt: vt certis temporibus in ea omnia, quæ vſui noſtro ſunt, ſingulatim & ſeuerè inquiramus, ſi quid minùs neceſſariò requiſitum offendimus, quidquid hoc tandem ſit, tamquàm ſarmenta vitem damnosè inumbrantia, præcidamus. Tùm, ne in cubicula noſtra quidquam ſu-

Paulin. ep. 10.

Orat. in Baſil.

Can. 16. in Matth.

ſuperfluum ſeſe in poſterum inferat, quòd, cùm aliò migrandum eſt, efferri nobiſcum velit; adhibeamus oſtio vigiles, qui, quæ ſunt eiuſmodi, longè ſubmoueant, & acceſſu prohibeant. Occurrant animo duo illi Principes Latronum Rechab & Baana, *2. Reg. 4.* qui Regia ſtirpe ortum, ac nihil tale merentem, Isboſeth per ſummum facinus obtruncarunt. Oſtiaria domus, eademque vigil & cuſtos, purgando tritico intenta, operi indormiuit. Hìnc libera & tuta ſicarijs ad cædem domini via. Percuſſum enim, inquit Scriptura, interfecerunt, ſublatóque capite eius, abierunt. Documento ſanè illuſtri, quo palàm admonemur, quid ſpiritui noſtro contingat, cùm Oſtiaria, communis diſciplinæ ratio, cuius eſt triticum à paleis, ſcilicet neceſſaria à ſuperfluis, accuratè ſecernere; operi ſuo non aduigilat, ſed, in deſidiam & ſomnum ſoluta, non aditum modò, ſed etiam introitum hoſtibus animæ expeditum relinquit.

Tertio loco occurrunt alij, qui libris paſſim coëmendis non parum operæ & pretij impendunt. Quo in ſtudio, quia nonnulla ſpecies Honeſtatis elucet, cùm eiuſmodi conquiſitio nihil indecorum aut ſordidum præſeferat, quin religioſum hominem maximè decere videatur: *3. Libros nō ſuperfluos habere, non vſui proprio addicere.*

tur:

tur: eò tutiùs vitium in incautos irrepit, & Paupertati non mediocriter obeſt. Ac primò, ſi eiuſmodi librorum pauci ad vſum, plures ad pompam, quaſi tacitã quædam ſapientiæ teſtimonia coaceruentur: tùm, ſi quos quiſque ſibi cum bona Superiorum venia comparauit; eos non tamquàm rem publicam, ſed ſingulari quodam iure ſibi obſtrictam, vindicet. Qua in re quid iàm pridem conſtitutum ſit, nemo eſt qui ignoret. Vt primùm quis, venia ad id impetrata, librum coëmerit; certo loco ſtatim adſcribat, præfigatque fronti eiuſdem libri nomen Collegij aut Domus; cui addicitur. Et, ſi abeundum aliò fuerit, vllum eorum ſecum ferre non magis poſſit, quàm qui ſunt communis bibliothecæ. Neque prorsùm laudandi ſunt qui libros, quos certis piorum hominum eleemoſynis compararunt, alteri cuipiam Collegio attribuunt, fraudantque ſuo quaſi iure locum, vbi in præſentia degunt.

4. Si quæ dono dätur, ne pretioſa ſint, aut nimis multa.

Caritatis etiam nomen & ſpeciem præ ſe ferunt qui, ne ſibi vnquàm deſit quod alijs donent, multa paſſim conquirunt, & quaſi in loculis, ſæpè ad extremum vſque ſpiritum, ſeruant; neque id ſibi culpæ vertendum putant, quòd ea, vt aiunt, dùm alijs ſeruant, ipſi penè non ha-

habeant. Superiores excipio, quos non modò pari viciſſitudine beneuolentiæ, verùm etiam aliquo grati animi pignore, benè de Societate meritos interdùm remunerare æquum eſt. Ceterùm vbi nulla virtus beneficium, aut munus cohoneſtat; religioſo homini virtus eſt, non eſſe munificum: nam Paupertas, quam profitetur, ſi euangelica eſt, ſi vſque ad perfectam rerum omnium nuditatem; quàm nihil petit à largitoribus, quod poſſideat; tam nihil poſſidet, quod petentibus largiatur: nec pudori, ſed gloriæ deputat, ita ſemel DEO vniuerſa donaſſe, vt nihil reliquum habeat, quod in alios conferat. Nec tamen ignoro, Hieronymum, Auguſtinum, Paulinum, Seuerum, atque alios eiuſmodi, ſanctiſſimos religioſæ vitæ & euangelicæ Paupertatis cultores & magiſtros, munuſcula ad amicos, præſertim longè diſſitos, mutuæ inter ſe caritatis & beneuolentiæ pignora, & quaſi obſides, mittere nonnunquàm conſueuiſſe. Sed ea ſanè tàm rara, tàm vulgaria, & exigua; vt, qui non eiuſdem planè, ac ipſi, ſanctitatis & modeſtiæ ſit; erubeſcat inde faciliùs, quàm glorietur; adeò in illis non minùs clarè Paupertas, quàm Caritas elucebat: vt, vbi officij & amoris ergo aliquid

quid dono dare oporteat; exemplum eſſe poſſint liberalis inopiæ, non ſplendidæ largitatis.

5. *Libenter pati, ſibi in vſum dari, quæ domivi liſſima ſunt. Exam. c. 4.*

Alius inſuper domeſticæ Paupertatis fructus, ab ipſo Ordinis noſtri Inſtitutore, in hæc verba proponitur: *Qui*, inquit, *Societatem ſequi velit, ſibi perſuadeat, quòd quæ viliſſima erunt, ex ijs, quæ domi ſunt, ei tribuentur*. Quam legem ne quis DEI, & S. Patris edicto conſtitutam putet in eos tantùm, qui primæ ætatis tirocinium, & religioſæ diſciplinæ rudimenta ponunt in Societate; rationem continuò ſubdit, qua ſimul vniuerſos, & tirones & veteranos, immò & emeritos pariter comprehendit: ſcilicet, eamdem virtutis viam, quam maiores noſtri inierunt; nobis, qui ipſorum veſtigia perſequimur, tenendam eſſe: vt Societas vniuerſa, per omnes ætatum atque ordinum gradus, vno tenore ſibi ipſa æquabiliter reſpondeat: ne, ſi à prioribus poſteriores, aliquid remittendo, degenerent; caput aureum paulatim in pedes luteos euadat. *Cùm enim*, inquit, *qui primi in Societatem conuenerunt, per huiuſmodi indigentiam ac penuriam maiorem rerum corpori neceſſariarum, probati fuerint; qui poſt eos accedent, curare debent, vt, quoad poterunt, eò pertingant, quò*

vt

illi peruenerunt, vel vlteriùs etiam in Domino progrediantur. Iàm ſi ad hoc ſpeculum, ad primorum, inquam, Patrum exemplum componant ſeſe qui multum vel ætatis vel meritorum in Societate numerant; videant, an ea, quæ viliſſima domi ſunt, ſibi quoque tribui, eadem quo illi animo patiantur: an verò, perinde ac ſi labores ſuos non DEO donent, ſed hominibus fœnerentur; id ſibi infelicis vſuræ pendi velint, vt, relaxata in communi rerum partitione atque vſu Paupertate, aliquantò commodiùs præ alijs habeantur. Si ſecùs fiat, enimuerò etiam doleant, & quaſi de iniuſtitia expoſtulent; non ſenectutis, non meritorum rationem vllam in Societate haberi: qui portauerunt pondus diei, & æſtus; pares fieri ijs, qui nouiſſimi vna hora fecerunt. Quam mercenariorum vocem quantò æquiùs commutarent cum altera illa ſerui boni & ſapientis, qui, cùm fecerit omnia, quæ præcepta ſunt illi, adeò nihil operis ſui merito debitum putat; vt vnum illud ex Euangelio vſurpet: *Serui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus!* Quis Miniſtrorum Chriſti plus Doctore Gentium Apoſtolo laborauit? & quis illo egentior, qui ad ea, quæ ſibi opus erant, ſuis ipſe manibus miniſtrabat? At

Matth. 20

Luc. 17.

 quan-

quantò pauperior ſeculo, tantò locupletior DEO, qui reddet, inquit, mihi in illa die (non in hac, id eſt in præſenti vita, vt ſubijcit Auguſtinus) rectè factorum mercedem. Atque hoc *Remunerationis linteo*, vt loquitur Gregorius, laborum ſuorum ſudores Paulus tergebat, nihil rerum humanarum exquirens, aut ſponte oblatum ſuſcipiens, quo vel Paupertati ſubſidium, vel Neceſſitati remedium compararet: ne non ſoli DEO, & beatæ æternitatis expectationi & ſpei, totum ſe ac labores ſuos impendere videretur. Qui ſic cum Apoſtolo ſapiunt, etiam dolent, ſi quando ſecum indulgenter à Superioribus agi videant: veriti, ne quopiam modo recipiant bona in vita ſua. Quin etiam, ſi, quod olim Doctori Angelico Chriſtus, commendatis ipſorum laboribus, vltrò eis proponat, vt eligant quam malint mercedem accipere; cum eodem ſanctiſſimo viro continuò reſpondebunt: Non aliam, Domine, niſi te ipſum.

Lib.8. Mor. c.7.

6. Nihil ſibi ſupra ceteros debitum velle, ob labores in Societate ſuſceptos.

Sunt & alij, quibus apprimè neceſſarium eſt commune illud omnium ferè Ordinum religioſorum, & Societatis etiam ſingulare monitum: Ne quis noſtrum negotijs ſecularibus ſeſe intermiſceat. Quod quàm prudenter ſancitum ſit,

ſit, vel ad hoc ipſum vt Paupertati ſuum ius inuiolatum atque integrum conſeruetur; ex ijs, quæ mox ſubijciam, apparebit. Placet autem, eos præ ceteris ad ſui conſiderationem vocare, qui profuſa quadam, & non ſecundùm ſcientiam, in conſanguineos teneritudine veriùs, quàm pietate, vt eos vel rerum temporalium difficultate preſſos ſubleuent, vel litibus implicatos extricent, vel fortunarum ſuarum adminiſtrationi nondùm per ætatẽ idoneos dirigant; curatores ſe, aduocatos, tutores, villicos, litigatores, denique omnia præter Religioſos, præſtant. Hìnc frequens pecuniarum exactio, cuſtodia, diſtributio, alieno nomine, arbitrio ſuo. Nouo equidem monſtro, vt pietas irreligioſum, caritas ſecularem faciat, ſi, quod plerùmque euenit, in eiuſmodi negotia non immittant ſe modò, ſed penitùs immergant. Quantum ex iſtorum hominum licentia Religioſi Ordines detrimenti patiantur, vix æſtimari poteſt. Mitto, quòd eorum opera vti vix vlla in re Superiores poſſunt; adeò eos ſua illa Neceſſitas ad ſe totos auocat. Quòd, Patriæ aut vni certo loco affixi, inde ſe nulla vi abſtrahi patiuntur. Quòd, guſtata ſemel ea ſpecie libertatis, ad communis diſciplinæ formam reuocari

 diffi-

difficilè poſſunt. Quòd animum, in temporalium rerum adminiſtratione & cura quotidiano vſu diſſipatum, colligere ad ſui cultum, præcipuè ad orationis ſtudium, vix atque ægrè valent. Illud intolerabile, ſi & lites inferant, & ad tribunalia confligant, & violentas pecuniarum repetitiones faciant, aut palàm negotientur ad quæſtum. At nonne hoc eſt ad telonium ſedere, atque eò redire apoſtolicæ vitæ virum, vnde Chriſtus Matthæum, vt ex publicano Apoſtolum inſtitueret, auocauit? Erubeſcant eorum cauſa reliqui eiuſdem Ordinis Socij, neceſſe eſt, quorum odorem fœtere etiam apud bonos faciunt: vt vix multorum virtus & probitas, diù multùmque nitendo, reſtituere tandem poſſit quod eorum vnus aliquis de communi exiſtimatione detrahit. At ſi, qui manum non amouet ab aratro, ſed tantùm reſpicit retrò, non eſt aptus Regno DEI; quid tandem ij, qui, dimiſſa in agro Domini ſui & proximorum cultura, totos ſe ad terrenarum rerum negotiationem conuertunt? ſpecie quidem, primo aſpectu etiam honeſta, caritate in conſanguineos, decepti; ceterùm parùm memores, quàm blanda ſui conciliatrix, & ad fallendum verſuta & mendax ſit ſuopte ingenio natura

tura

tura: in quam veritatis Magiſter Chriſtus docuit pietatis genus aliquando eſſe, ſe præbere crudelem, cùm ſecuturum ſe iuuenem vetuit domum redire, vel ad hoc tantùm, vt parentem recens vita functum humaret.

Reliquũ eſt, vt de ijs vltimo loco dicam qui, cùm ſe ſuis bonis nondùm abdicauerint, moram de induſtria inijciũt, ne ab ſe hoc reliquum oneris, quo grauantur, excutiant. Quos ſi Paupertatis amor, ſi ſuî in via Domini profectus, immò firmitatis & conſtantiæ, cura vlla tangeret; deceret equidem, non à Superioribus quaſi inuitos compelli, ſed magis ipſos, ſaltem vt primùm ex tironibus exceſſerunt, id ſuis precibus impetrare: ne, non prorſùs à Mundo præciſi, vnde per rerum ſuarum contemptionem effugerant; eò per deſiderium retrahantur. Sunt verò quos in hoc genere dæmon ludificat eò certiùs, quòd ingentis boni ſpeciem eis obijcit, ſi vel Collegium conſtituere, vel certi cuiuſpiam loci rem domeſticam augere, collato in id patrimonio, poſſint: vt propterea neceſſe habeant res ſuas ſibi diù habere, negotiari, nouos quæſtus facere, donec ea pecuniæ ſumma conficiatur, quæ deſtinato operi ſatis ſit. Si qui fortè eiuſmodi ſunt; intelligant, *9. Bonis ſuis ſe maturè abdicare.*

plus ſe Societati profuturos, ſi Obedientiam, & Paupertatem, quàm ſi quidquid eſt opum illi impendant. Rerum natura atque ordine ita comparatum eſt; vt, quo quidlibet naſcitur, eo potiſſimùm creſcat. At religioſi cœtus, Mundi contemptu, & rerum omnium, immò & ſui ipſius abdicatione, primùm coaluere: his neceſſe eſt augeantur, & maiores fiant. Quid enim & ipſis prodeſt, ſi Mundum vniuerſum lucrentur, diſciplinæ verò, & legum ſanctiſſimarum, quæ animæ loco eis ſunt, detrimentum patiantur? Damnoſa caritas eſt: religioſam domum fundare velle, & religioſæ perfectionis fundamenta ſubruere: multiplicare gentem, & non magnificare lætitiam: illam, inquam, lætitiam, quæ non ex hominum numero, ſed ex virtutum pondere, vera & ſolida prouenit. Quare, qui bona ſua conferre in Societatem volunt, ea S. Auguſtini regula vtantur; vt inter bona ſua ſeipſos primùm adnumerent, & ſe illi bonos præbeant. Neque velint, quæ de rerum ſuarum poſſeſſione ad aliquod breue tempus retinenda permiſſio Conſtitutionum eſt; lex ſit, immò & neceſſitas: non legum, non Moderatorum iudicio, ſed ſuo tantùm arbitratu finienda. Quid iàm, ſi non caritas

in Societatem, ſed priuatus in ſe ipſum amor, procraſtinare, & in longum tempus differre abdicationem ſuadeat, noua ſemper impedimenta cauſando: vt, dum ſpem bonam de rebus ſuis faciunt, interim ipſi aliqua, cum Superiorum licet venia, ad varios vſus identidem ſibi decerpant; & mitiùs habeantur, vt quibus in promptu eſt cui voluerint loco benefacere? Eiuſmodi artibus & fallacijs, DEO & animæ ſuæ illudere, quàm turpe ſit, nemo non videt: at Superioribus, quaſi clauſis oculis, eis capi, enimuerò turpiſſimum eſſet. Quare, cùm, pro locorum & perſonarum conditione, certum tempus, quo primùm elapſo, abdicare ſe ſuis bonis quiſque debeat, generatim & vniuersè definiri non poſſit; reliquum eſt, vt qui interim ſua ſibi habere permittuntur, tamquàm non habentes ſint, neque ipſis quidquam inde trahendi in priuatos vſus poteſtas vlla fiat: alioqui Paupertas, quæ tantæ dignitatis ac meriti virtus eſt; iàm erit tentatio, ſi ad manum habeant, quo ſe ab eius incommodis per Superiorum indulgentiam redimere ſua pecunia poſſint. Sentiant & ipſi, pari cum ceteris fortuna, communis inopiæ difficultates, neque vllis publicæ aut priuatæ diſciplinæ oneribus, quantam-

cunque ſpem rerum ſuarum faciant, exi-
mantur, aut ſupra reliquos ſtent: ne
venalia priuilegia videantur, & ſuæ vir-
tutis bonos pœniteat, ſi plus ſperatæ pe-
cuniæ, quàm præſentibus meritis, tribu-
tum videant.

Superioers exemplcpræeant, & ne tenaces ſint & ſordidi.

Et ſanè plurimum habet in vtramque
partem momenti, ſiue ad perdendam
ſiue ad conſeruandam Paupertatem, Su-
periorum vel remiſſio vel cura: vt pro-
pterea, qua decet eos eſſe in Societatem
ſupra ceteros fide, adniti plurimùm de-
beant; vt hac etiam in parte, cui, niſi
ſedulò proſpiciatur, multum periculi eſt,
muneri ſuo ſatisfaciant. Ac primùm, ne
inter eos ipſi adnumerentur, *qui dicunt*
Matth. 23. *& non faciunt; imponunt onera grauia*
in humeros hominum, digito autem ſuo
nolunt ea mouere: ſed, vt rectè admonet
1. Pet. 5. Petrus, *Forma facti gregis*, quos ad Pau-
pertatem crebris adhortationibus inui-
tant, exemplo potiſſimùm trahant: alio-
qui vanus eſt ſermo docentis, quem fa-
cta dictis contraria eneruant. Suos igi-
tur ad Paupertatem alliciant, ſed ea
Sponſi voce, amicam ſibi animam ad vir-
tutis faſtigium prouocantis: Surge, pro-
pera, veni. *Non* enim *parùm confortat,*
Serm. 85. in Cant. inquit Bernardus, *quod addit Veni, &*
non, Vade. Deinde, ne, ſingulari in-
quem-

quempiam beneuolentia aut animi propenſione ducti; vel timiditate ac metu victi, ſi Paupertatis iura infringentibus obuiam eant; auertant oculos, diſſimulentque, *Speculatores cæci*, & *Canes muti*, vt eos Iſaias per indignationem appellat. Hinc profuſa illa & prodiga in concedendo facilitas, perinde ac ſi non Paupertatis, ſed Obedientiæ tantùm cura habenda ſit: aut quantum de communis diſciplinæ, ac legum ſanctitate, Superiori remittere libitum fuerit; id verò totum liceat. Neque minùs, quàm immoderata profuſio; cauenda ipſis eſt nimis anguſta tenacitas. Sunt enim qui duritiem & ſordes, naturæ ſuæ vitium, parſimoniæ & frugalitatis nomine cohoneſtent: &, tenaces cùm ſint, Paupertatis amatores videri volunt. Itaque multa condere, pauca promere, ſeruare tenaciter, parcè etiam neceſſaria diſpenſare: ac, ne conqueri ſibi ſubditis vacet, domus inopiam paſſim obijcere, & lamentari. Id verò eſt, Paupertatem non ſeruare, ſed perditum ire: neque enim *Pietas cum ſufficientia*, ſed coacta neceſſitas proprietatem in religioſas familias primò inuexit. Decet equidem voluntarios Chriſti pauperes, omnem egeſtatis etiam iniquæ duritiam magno animo

Iſa. 56.

1. Timot. 6

mo perpeti: at nihil magis dedecet, quàm vt ſubditorum virtute Superior abutatur, vt ſuo ipſo vitio ſatisfaciat; fraudetque operarios dignos mercede ſuâ, & congreget quæ nec ipſe ſciat cuius futura ſint. Meminerint ergo Superiores, ſe Patres quidem eſſe, hoc eſt, ſolidi & virilis affectus, qui non molliter indulgeat filijs, etiam nocitura petentibus: ſed & Matres ſe eſſe, vt eos ſinu foueant, & ad vbera portent: quod ſe facturum recepit DEVS, & quidem ſuprà quàm matres poſſint, vſque in ſenectam & ſenium filiorum. Videant, quanta ſedulitate, quàmque irrequieto labore, circumuolent atque oberrent auiculæ, vt maternæ pietatis officium exequantur & cibum pullis conquirant. Faciant quod boni Imperatores, qui plus ab annonæ caritate, quàm ab hoſtis ferro, ſuis timent. *Sæpiùs enim*, vt inquit Romanæ militiæ magiſter, *penuria quàm pugna conſumit exercitum, & ferro ſæuior fames eſt*. Itaque, re frumentaria abundè inſtructi, tùm demùm & copias educere, & militarem diſciplinam exigere tutò poſſunt: ſecùs ſi fecerint, plus perturbationis & tumultus in caſtris, quàm ordinis & virtutis in acie, habituri Nunquàm tàm anguſta domi res erit, quæ ca-

Veget. lib. 3. cap. 3.

caritati locum non faciat. Tolerant libenter ſubditi, quod ne tolerent, Superiores ſolicitos vident: & quod inopiæ deeſt, caritas ſatis ſupplet.

Atque hæc ea ſunt, Patres Fratreſque in Domino dilectiſſimi, quæ de Paupertate ad vos ſcribere in præſentia viſum fuit. Pauca equidem, pro dignitate atque amplitudine argumenti, niſi quòd non ſcientibus modò, ſed & amantibus legem, loquor: vt propterea ſingulare illud Magni Gregorij ſapientiam locuturi inter perfectos religioſæ vitæ ſectatores, qui id ab eo requiſierant, vſurpare meritò poſſim: *Si Dei ſunt vaſa, ſcio, quia fontem ſapientiæ intùs habent, vt meæ ſiccitatis guttas paruulas ſuſcipere non debeant.* Et fortaſſe cauſam hanc Paupertatis vniuerſam non modò breuiùs, ſed & pleniùs peroraſſem, ſolo in exemplum & præmium propoſito Præceptore ac Duce noſtro Chriſto IESV, quo nihil ad imitationem præſtantius, nihil ad mercedem vberius, proponi cuiuis hominum generi poteſt. Nam qui, *cùm eſſet diues, propter nos egenus factus eſt, vt illius inopia diuites eſſemus*: qui *ſemetipſum exinaniuit, vt de plenitudine eius nos omnes acciperemus*: quid iam cordium noſtrorum deſiderijs reliquum fecit, vt, dum in ipſo omnia

Chriſti D. exemplū ad Paupertatē perſuadēdū efficaciſſimum.

Ep. 27. lib. 9.

2. Cor. 8.

Philipp. 2.

Ioan. 1.

nia inuenimus,præter ipſum,ſi non etiam præ ipſo,alia expetamus? An verò,ſi pauperibus ſpiritu nihil præterea ſuppeteret ad mercedem, quàm quòd ſocij ſimus Paupertatis Chriſti: qui, dùm eam, vt ait Ambroſius, in ſeipſo dedicauit, pretioſam fecit, & ſuper omne dignitatis & gloriæ faſtigium euexit; non id ſummæ felicitatis, & copioſiſſimæ remunerationis loco habendum eſſet? Quid enim cauſæ fuit, cur, in terras aduèniens DEI Filius, nihil de gloria magnificentiæ regni ſui ſecum extulerit? *Erat*, inquit Bernardus, *qui fortè ei ſublimia quærenda arbitraretur eſſe palatia, vbi cum gloria Rex gloriæ ſuſciperetur. Sed non propter hoc à regalibus illis ſedibus venit. In ſiniſtra eius diuitiæ & gloria: In dextera longiturnitas vitæ: horum omnium æterna in Cælis affluentia ſuppetebat. Sed Paupertas non inueniebatur in eis. Porrò in terris abundabat & ſuperabundabat hæc ſpecies, & neſciebat homo pretium eius. Hanc itaque DEI Filius concupiſcens, deſcendit, vt eam eligat ſibi, & nobis quoque ſua æſtimatione faciat pretioſam.* Hinc, vt eum primi Paſtores inueniant, pauperem paupe-res, ſignum ab Angelo accipiunt: pro ſolio præſepium, in quo reclinatur: pro purpura pannos, quibus inuoluitur. *In ſi-*

Serm. 1. in vig. Natal. Dom.

gnum,

gnum, ſubdit idem Bernardus, *poſiti ſunt* *panni tui, Domine IESV: ſed in ſignum*, *cui à multis vſque hodie contradicitur*. Sacramentum enim hoc magnum eſt, quod vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget: Paupertatem pro DEO ſponte aſſumptam, rem eſſe diuinam, quam ſcilicet DEVS ipſe, præpoſitam regnis & ſedibus, tàm ſingulariter adamauit, tàm arctè complexus eſt; vt à Bethleem ad Caluarium, hoc eſt, à primo ad extremum vſque vitæ ſpiritum, eam à ſe numqnàm abſtrahi paſſus ſit: adeò, vt qui pannis inuolutus iacuit in præſepio, nudus in Cruce pependerit. Excipiamus ergo, dilectiſſimi, prompto atque alacri animo Paupertatem: & quam noſtri Ordinis Inſtitutor Ignatius *Societatis Matrem* nominauit & fecit; ea, qua decet filios, caritate & beneuolentia complectamur. Impendamus bonorum temporalium iacturam in quæſtum & lucrum æternorum: & qui cum Maria pretioſum vnguentum ſuper caput Domini effudimus, fracto inſuper alabaſtro, ne quidquam eorum, quæ ſemel DEO vota donauimus, repetendi nobis ius aut poteſtas relinquatur; gaudeamus, nos & pro Chriſto pauperes eſſe, & in Chriſto diuites, nihil præter ipſum habentes, & in ipſo omnia

Serm. 4. in Nat. Dom.

poſ-

poſsidentes. Procul à nobis illud Meum ac Tuum, frigidum verè verbum, quod perfectæ in DEVM caritatis ſæpè ignem extinguit, ſemper ardorem imminuit. Ecquid (vt poſtremò vos alloquar cum Lactantio) *quid dubitamus benè collocare id, quod nobis vna tandem dies eripiet? Quid veremur fluxum & fragile bonum facere ſempiternum: & res noſtras cuſtodi DEO credere, vbi non furem prædonemque timeamus, non rubiginem, non tyrannum? Qui apud DEVM diues eſt, pauper eſſe nunquàm poteſt. Si iuſtitiam tanti putamus, ſequamur eam, abiectis oneribus, quæ nos premunt. Liberemus nos ipſos compedibus & catenis, vt expediti ad DEVM curramus. Magni & excelſi animi eſt, calcare mortalia.*

Lib. 6. de vero cultu.

Ita Chriſti IESV Societate, & maiorum, qui nos, à prima Ordinis noſtri inſtitutione, exemplo præluxerunt, conſortio digni, noſtræque ac proximorum ſaluti, pro ea quam profitemur apoſtolicæ vitæ ratione, operam ſtrenuè vtiliterque nauantes; *Pauperem quidem vitam geremus* (ſic enim & iuuenem Tobiam ſenior alloquendo conſolabatur) *ſed multa bona habebimus*: ea ſcilicet, quæ Pauperibus ſpiritu promittuntur, Beatitudo & Regnum Cælorum: quod Pater Pauperum,

Tob. 4.

rum,